IN PRAESTANDA SANCTISSIMO D. N. PAVLO V. P. M. PRO CIVITATE FERRARIAE OBEDIENTIA

BAPT. GVARINI IVN. NOB. FERRARIEN. ORATIO.



ROMÆ, Apud Aloiſium Zannettum. MDCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

IN PRAESTANDA SANCTISSIMO D. N. PAVLO V. PONT. MAX.

Pro Ciuitate Ferrariæ obedientia

BAPT. GVARINI IVN. NOB. FERRARIEN.

ORATIO.

CLEMENTE Octauo Beatiſſime Pater venerandæ ſemper memoriæ Pontifice verè Maximo, non dicam è viuis ſublato, ſed ad viuos potius ſubleuato: cum Ferrarienſium Ciuitas tanto patre orbata, tàm inſigni & ſuæ ſalutis, & ſuæ libertatis authore, defenſore, vindice deſtituta: poſteaq. ſub ſanctiſſimo Medico, heu nimis immature nobis erepto, percuſſa potius nouo vulnere, quàm ſanata; de futuro pontifice eo magis ancipiti premeretur ſolicitudine, quo plus incertos habere exitus mortalium ſpes, ac vota experimento nouo didicerat: indictis propterea, vt mos eſt religioſiſſimæ ciuitati, ad omnia templa ſupplicationibus, votiſque ex animo nuncupatis (ò admirabile diuini numinis argumentum) ſpiritus Domini repleuit omnium animos tàm repentè; vt licet in Sacroſancto Cardinalium ordine non deeſſent, qui pontificia maieſtate digniſſimi, & viderentur, & eſſent;

in vna tamen Sanctitatis vestræ persona Ferrariensis populus respirauerit: Sanctitatem Vestram constantissimis animis expetiuerit. Nulli igitur mirum videri debet, si optatissimo tantæ suæ felicitatis accepto nuncio, tota est ingenti lætitia, tota gaudio perfusa est incredibili. Vtinam Beatissimè Pater accedere huc ipsa præsens, & sine vllis internuncijs potuisset. Vniuersum certe Sanctitas vestra populum illum, sine vllo vel sexus, vel ordinis, vel ætatis discrimine ad Beatissimos hosce pedes procumbentem, adorantem, & exultantem conspiceret. At verò quod efficere ipsa non potuit; ita nos præstare conabimur, vt non tam illius imaginem ante oculos repræsentare, quàm ipsammet potius ante pedes Beatitudinis vestræ deponere voluisse nos videamur. Nihilo enim indecentius nobis videri debet, in sinu animorum nostrorum patriam attulisse, & vero CHRISTI Vicario consecrasse, quam olim Fabio Senatori Romano fuerit bellum tergiuersantibus Africanis in sinu togæ portasse, & è sinu togæ dedisse. Ab explicandis igitur, vt par est in tanta lætitia, lætitiæ nostræ causis exordium commissi muneris auspicantes Christiano populo gratulamur, quod cum scilicet sit pontificem consecutus, qui cum vota omnium superauerit, expectationem multo quoque præstantius superabit. Gratulamur etiam augustissimo purpuratorum patrum Collegio; in quorum gloriam lumen præclarissimæ huius lampadis, quam cum esset sub modio votis omnibus erexerunt, summa laudis celebritate reflectitur. Vestræ denique Sanctitati summopere gratulamur, quam cum iampridem ad hunc supremum omnium gradum natura finxerit, Deus Optimus Maximus destinauerit, virtus direxerit; quam diù Pontificiam Sedem hanc non obtinuit, tàm diù dicendum est extra locum sibi maxime proprium & germanum violenter, vt ita dixerim, extitisse. Nunc Vestra Magnanimitas, quæ hactenus in angusto solo non potuit ad propagandam ingentium rerum sobolem dilatari; opulentissimos certe fructus, & tantæ magnitudinis dignos, in suo situ iam requiescens felicissima proferet. Totum enim

id Bea-

id Beatissime Pater, quod Sanctitatem Vestram ita semper insignem reddidit, & in oculis hominum admirabilem persona, mores, ingenium, verba, opera, vita denique omnis futuri Pontificatus gloriam redolebat. Præcipue verò nobis id præmonstrabat ab ineunte ętate suscepta illa ratio studiorum, quæ ciuilem gentium societatem tuetur, imperia moderatur, diuina cum humanis coniungit. hoc vno tamen comperto saluberrimo legum vsu, legibus non egere; nec ea tantum contentum esse iustitia, quæ forensi negotio pręfinitur, iusque suum seruili timore pręcipit, sed quæ solo honestatis amore ducta honestatem ipsam amplectitur, virtutesque omnes diuinæ sapientiæ fœdere comprehendit. Etenim non per blandas voluptatum illecebras: nec per immoderatam habendi cupiditatem: sed per eximiam in rebus omnibus abstinentiam, in muneribus obeundis integritatem, in expetendis moderationem, vir summè religiosus ad summum religionis fastigium; Vicarius Pontificius ad vicarium CHRISTI Pontificatum; Sacerdos eminentissimus ad supremum euectus est sacerdotium. Quod si omnium peritissimus nauta in puppi sedere debet: si miles omnium solertissimus Imperator est eligendus; quid mirum est, si tot annos Ecclesiastico ministerio sapientissimè functus, minister omnium in Ecclesia maximus adoratur? Hoc verè est Pontificiam sibi struere dignitatem. Hoc verè est Pontificem esse, nimirum Pontificijs ante factũ virtutibus, quam suffragijs. Quibus enim artibus est excultus, ijsdem etiam ille animus Pontificius est effectus. Animus vere sanctus, & innocens, insignis in Deum fide, in homines charitate, cęlestis thesauri cupidus, non terreni. Animus incorruptus, non pro libidine, sed pro vera virtute hominum æstimator, honorumque distributor. Animus non inflatus, non turgidus, sed excelsus, ingens, augustus, natus ad magna omnia: natus ad regias legationes obeundas, ad pręclaras vrbes regendas, ad publicas res omnes administrandas. natus denique ad sanctum orbis imperium, & ad claues regni cęlorum humano generi venerandas,

das,

das, ac formidabiles diuino ſpiritu ſuſtinendas, diuina ſapientia adminiſtrandas. Nos igitur ante ſacratiſsimos pedes tanti Principis conſtituti, Reipublicæ noſtræ nomine; immo etiam ſpiritu, voce, lungua te PAVLVM QVINTVM Pontificem Maximum. Verum CHRISTI Vicarium, Beatique Patri legitimum in Eccleſia ſancta Dei, Apoſtolatuſque culmine ſucceſſorem: te ſupremum Chriſtianę religionis antiſtitem, catholicę fidei fundamentum, ſacrarum omnium arbitrum, in primis vero Principem noſtrum quanta poſſumus, reuerentia, humilitate agnoſcimus, confitemur, & adoramus. Tibique non eam ſolum obedientiam, quam hoc ſolenni, exterioreque actu, & cultu publico profitemur; ſed quam interiore cordis obſequio, ſinceræque deuotionis affectu, & nos hodierna die pręſtamus, & ipſam omni tempore pręſtaturam conſtantiſsimè pollicemur. Eandem vero Beatiſsime Pater ſic profitentem, ſic adorantem à ſingulari Sanctitatis Veſtrę benignitate ſuſcipiendam viciſsim fore confidimus. Hęc enim illa eadem eſt, Ferraria, quę per quingentos & eo amplius perpetuos annos, non minus immutabili, quàm antiquo deuotionis foedere obſtricta, nulla foedata rebellione, nullo coinquinata diſsidio; nullis nec finitimarum, nec exterarum gentium, vel minis perterrita, vel precibus delinita ſub ſanctę huius Sedis imperio ſemper fuit; datamque fidem nullo vnquam tempore neque vendidit, neque pepigit, neque feſellit. Si Vicarios habuit tu ſancta Mater Eccleſia tu dediſti. Si Marchionibus paruit, tu iuſsiſti, ſi Ducibus obediuit, tu voluiſti. Nec eam tamen vlla vnquam viciſsitudo potuit immutare, quin tua ſemper extiterit, perpetuoque in tua poteſtate permanſerit. Hęc Vinea illa eſt, quam cum ſanctiſsimus Paterfamilias locaſſet olim agricolis; non miniſtrorum cęde polluta, ſed exacto locationis tempore inculpata, non murorum tantum, ſed multo magis cordium, animorumque fores ſubito reſerauit. Hanc igitur pientiſſime Pater humiliter deprecantem Beatitudo Veſtra ſuſcipiat, afflictam conſoletur, iacentem erigat Ancilla

Dominum,

Dominum, filia patrem, abyſſus abyſſum inuocat. Abyſſus deuotionis, abyſſus fidei. Vtinam non abyſſus aquarum. Opulentiſſimam enim aliàs ciuitatem ac florentiſſimam perdiderunt penè duo illa lethalia noſtra vulnera palus, & padus. Hic deficit, illa redundat. Salutaris aqua deſtituit, noxia populatur. Vt verè poſſimus dicere, qnod poëte de Tantalo fabulantur, Ferrarienſem nimirum populum in medio aquarum multarum (quis crederet?) areſcentem. Sola vero noſtris vulneribus mederi poteſt Sanctiſſimi PAVLI QVINTI, è cęlo nobis delapſi authoritas, ſapientia, pietas. Poterit vna certe, atque eadem Pontificia manus omnipotens, tanquam virga Moſaica diuino numine roborata infeſtas aquas repellere, propitias excitare, ſibique ſubditam ciuitatem nulli prorſus obedientia, deuotione, fide ſecundam; totiusque Eccleſiaſticę ditionis firmiſſimum propugnaculum ab imminentibus tot ærumnis incolumen conſeruare. Ita faxit Deus Optimus Maximus, vt quod de Sanctitatis Veſtrę Pontificatu auſpicatiſſima conſecuti ſumus præſenſione; id quoque de diuturna ipſiuſmet Pontificis vita, ſuarumque rerum omnium felicitate, feliciſſimis precibus, vnaque pientiſſimis conſequamur. DIXI,

Habita Romæ xvj. Kal. Iul. M D C V.

L A V S D E O.